Nobilissime Vir, amicorum optime.

Hodie conversando D. Rieuwerts intellexi, quendam vestrum hic esse, qui ad vos iret, necessarium ergo duxi ipsi hoc Epistolio, et brevi onerare, quo indicarem, quae tua interessent. Post tuum discessum conveni D. Blok, et rogavi, ut mihi daret 50 florenos, quos etiam, te praesente, se daturum promisit: verum ille jam ait se eos daturum, quando a D. V. acceperit 150 flor. Ex hac responsione satis colligere potui, se mihi nolle solvere, et hoc pacto, ut semper, quaerere effugia. Ingenium hominis ex his poteris cognoscere. Quare abs te peto, ut hac super re ad ipsum scribas, ego aliis debeo, qui mihi molestiam creant. Verum si judicas mihi nummos non competere, eos plane repudio. Tua sane amicitia mihi pluris est, quam ingens pecuniae summa. Quam te continuaturum meum confido, et rogo. Misisti nuper 1. partem tuae Logicae, quam et legi et hic illic emendavi paucissimis, retentis tuis, quantum potuit, his verbis. Solum illud quae Germanismum sapiebat, per infinitiva correxi. Insuper in eo loco, quo de facillimis demonstrationibus in difficillimas mutandis loqueris addidi ope calculi et demonstrationes. Hanc autem tuam esse sententiam prorsus intellexi. Praeterea illud reflectere et reflectas emendavi. Eo autem sensu, quo D. ponit non sunt Latina. Substitui ergo advertere, attendere aut animadvertere. Sed hoc melius ex impressis foliis perspicies. Caeterum peterem ut amanuensis ille tuus tua ita describeret, ut nulla prorsus emendatione opus esset. Hoc non mei sed tui causa scribo. Praevideo autem impossibile fore ut tuus Tractatus in Nundinis paschalibus Francofurtensibus jam impressus sit. Tua certe spe frustraberis. Miror praeterea D. Blok, quod ipse adversus [illegible] est in tuo Tract. in Belgicum vertendo. Ipse certe meliorem non [illegible] vertendum, quam ego, et novit N. V. mihi nummis opus esse. [illegible] mihi videtur invidere, qua de causa nescio, et forte praejudicio laboro. [illegible] flagito, ut Bibliopolas admoneas, ut instigent Typographos ad Editionem tui Tract. maturandam, ob rationes jam ante dictas. Ubi imposterum folia impressa prodierint communicabo ea D. Hugenio et Consuli [illegible] Sed hoc non praestabo nisi tua venia, quam hic specialiter exigo. Misi Tract. D. Heuraat in eum finem, ut si otium tibi suppetat, revideas, corrigas et ex mente tua illustres hic et illic ubi opus est. Suasit autem mihi D. Makreel (qui te amicitus et omnes vestros salutat) et ego expecto, ut ejus impressionem maturarem, id quod et a nobis fieret, si D. V. Tractatum remiserit, et postulata fecerit. Gratiam certe inibimus a Mathematicis. Quoniam vero D. Heuraat τὸ provenientem saepe usurpat in suo scripto, ejus explicationem, nobis obscuram, ne dedigneris addere. Nobis videtur τὸ provenientem esse productum, nisi aliquis velit eo τὸ datum. Sed satis scio explicabis.

[Left margin: ...m ego / ...ior / ...um Tract. / versurus sit / quasi indi...]